

Idem, tom. II, constitut. 28, incip. *Postremo mense*, § 53. (50. Limita quando testis unicus legitimis præsumptionibus et validis conjecturis adminiculatus est. Idem, *ibid.*, § 55. (51. Item limita, ut collatio baptismi per unicum testem fide dignum probari possit. Idem, *ibid.*, § 31. (52. Testes in judiciis civilibus et canonicis admittuntur etiam mulieres. Idem, *ibid.*, § 55.

(53. Testes habentes notam manum, identitatem scripturæ autographæ non probant, nisi validis adminiculis fulciantur, id est comparentur cum aliis ejusdem scriptis per peritos, qui de identitate characteris juxta eorum artis regulas judicium faciant, et hujusmodi. Idem, constitut. 46, incip. *Postulatium*. (54. Testes examinati *turmatim* invalidam probationem in causis beatificationis seu canonizationis constituunt, sed de substantia examinis formalis est, ut singuli seorsim audiantur. Idem, *ibid.*

(55. Testes pro electione sepulturæ sufficienti duo. Sic expresse resolvit sacra congregatio Concilii in *Neapolitana Electionis sepulturæ* 13 Febr. 1666, lib. xxv *Decretor.* pag. 29, apud *Thesaur. resolut.* tom. II, pag. 304, in *causa Sorana Funerum*, § *Redacta*, et sæpe alibi. (56. Nec requiritur quod tales testes deponentes super electione sepulturæ recipiantur medio juramento per publicum notarium, ut expresse statuit eadem sac. congr. in *Senogallien. Funerum* die 18 Decembr. 1739, ubi ad secundum sic propositum dubium: « An testes super electione sepulturæ deponentes, recipi debeant medio juramento per publicum notarium: sive potius sufficiat, eosdem testes deponere oretenus cum juramento coram ipsomet parrocho vel vicario foraneo? » respondit: « ad II *negative* ad primam partem, et *affirmative* ad secundam. » Ita apud *Thesaurum resolutionum*, tom. IX, pag. 156, in *dicta Senogallien. Funerum*.

(57. Testes synodales tum in synodis provincialibus, tum diocesanis, eligebantur viri probatæ fidei, ut diocesim perlustrarent, exploraturi an synodalia statuta custodirentur, et omnia in futura synodo fideliter referrent, quæ emendanda deprehendissent. (58. Differebant a *periodeutis*, seu visitatoribus, quia jurisdictione carebant. (59. Valde utiles erant, et adhuc essent; difficulter tamen idonei inveniuntur, qui velint tale munus suscipere, adeoque fere ubique in desuetudinem abierunt, et in eorum locum suffecti sunt fiscales episcoporum et decani, hoc est vicarii fora-

TESTIUM PRÆSENTIA QUOAD MATRIMONIA.

Vide verb MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, n. 19 ad 113.

THALMUD HEBRÆORUM.

SUMMARIUM.

1. Judæi et Hebræi unde sint dicti. — 2. Thalmud Hebræorum seu Judæorum quid sit et importet. — 3. Quando et a quibus fuerit compilatum. — 4.

nei, qui utique si doctrina, pietate, prudentia et zelo præstarent, ac munus suum diligenter obirent, synodaliu testium defectum supplerent et compensarent. Sic pluribus ad rem erudite suo more deductis, tradit Benedict. XIV, *De synodo diocæsana*, lib. iv, cap. 3 per tot.

(60. In testes assistentes matrimonio contracto non præmissis debitis denuntiationibus, excommunicatio latæ sententiæ decerni potest. Idem, *ibid.*, lib. vii, cap. 69, n. 2. Vide tom. V, verb. MATRIMONIUM, art. 2, sub n. 1.

(61. Testes de auditu auditus allati in processu apostolico, conjungi non possunt in linea æqualis probationis, cum testibus de visu exstantibus in processu ordinario in causis beatificationis et canonizationis sanctorum. Benedict. XIV, in Appendice ad tomum IV sui *Bullarii* p. 2, constitut. incip. *Cum ex relatione*, § 2. (62. Vim tamen adminiculativam habere possunt, modo majorem, modo minorem, pro varia circumstantiarum conditione. Idem, *ibidem*, § 3.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. Debent testes produci coram iudice, cui fides est facienda, et quidem in loco iudicii, cum major dicatur auctoritas præsentium testium, quam testimoniorum. L. 3, § 4, ff. *De testib.*

(64. Nihilominus minus potest iudex interdum examen testium delegare, præsertim in civilibus. Nov. 20, c. 8, Auth. apud C. *De fide instrum.*

(65. Hinc sponte sua fluit, notarios non aliter posse testes per se examinare, quam si examen hoc a iudice delegatum sit. Et ita hoc examen privatum a notario factum nullum est. Beust. ad l. 31, n. 212, ff. *De jurejurand.*; Carpzov., lib. iii, respons. 87, n. 3; Græv., conclus. 103, n. 1 et 9, atque adeo nihilominus modo probatio adhuc salva sit, denuo a iudice juramento astringendi et examinandi sunt.

(66. De cætero ubi non requiritur solemnitas probatio, sed sufficit nuda demonstratio, facilius depositio testium coram notario admittitur, uti communiter hodie in possessorio summarissimo fieri solet, ubi præsentibus, vel quasi, demonstrasse sufficit.

(67. Pariter in processu executivo ad probandam exceptionem incontinenti admitti posse examen testium coram notario citra delegationem, tenet Carpzov., *Jurisprud. forens.*, p. 1, *Const.* p. 1, const. 3, def. 30, cum iudicium summarie peragatur.

Thalmud aliud est Hierosolymitanum, et aliud Babylonicum. — 5. Thalmud secundum Pignatell. quando fuerit inceptum et completum, et a quo in compendium redactum, quod secundo loco habetur post Bibliam. — 6. Thalmud sive Hierosolymitanum,

sive Babylonicum quid contineat. — 7. Thalmud jussu Greg. IX fait per totam Galliam combustum. — 8. Idemque fieri statuerunt Innocentius IV, Clemens IV, Honorius IV et Joann. XXII. — 9. Referuntur plures ejusdem libri combustiones ordinatæ a diversis Pontificibus in Urbe, et per Italiam. — 10. Denum Clemens VIII prohibitionem confirmavit, nulloque pacto retineri, vendi aut iterum excudi mandavit, quodque infra duos menses ordinariis seu

(1. Judæi dicti sunt a *Juda*, quarto Jacobi patriarchæ filio. Unde Palæstina Syriæ regio, utpote ab eis inhabitata, Judææ nomen obtinuit. Joann. Bohem, *De nation. mund. in Republic. Hebræor.* cap. 3; card. Petra, tom. III *Commentar. in constit. 2 Innocentii IV*, n. 1. Et Hebræi dicti sunt ab *Heber* abnepote Semi filii Noe, ut notant Tertull., in *Apol.* c. 18, et post plures Gonzal., in cap. *Judæi* 5, n. 1, *De Judæis*; Petra, *loco cit.*, n. 1, recte advertens quod sacri canones tum antiqui cum recentiores eos utroque nomine promiscue appellant, et Josephus, lib. 1 *Antiquit. Judaicarum*. Alii tamen autumant, Hebraicam gentem et linguam fuisse cognominatam ex eo quod cum ipsi Abraham de terra et cognatione sua egredi, et terram Chanaan ingredi a Deo jussu, ut in eam terram iret, superandus fuisset Euphrates, dictus sit *Hebræus*, id est *transitor*, et inde ejusdem posterii Hebræi fuerint appellati.

(2. Thalmud Hebræorum, seu Judæorum, Hebraice idem importat quod Latine sonat *disciplina seu doctrina*. Sic Decian., lib. v *Tract. criminal.*, cap. 12; cardin. Petra, tom. III *Commentar. in constit. 2 Innocentii IV*, n. 3, et alii. Sixtus autem Senensis, lib. iv *Bibliothec. sacr.*, dicit nomine Thalmud significari *ingens ac vastum opus Judaicarum traditionum*, in quo collecta sunt decreta omnia rabbinorum, Sammai, Hillel, Akiba, Joseph et filiorum Asamonæi, una cum aliis innumeris aliorum magistrorum statutis, sententiis, et tam divinarum quam humanarum legum expositionibus, quibus nunc tota Judæorum natio regitur. Ab aliis vero vocatur *jus Judaicum*, tam civile quam sacrum, doctrinale etiam, ac *Pandectæ et Digesta*. Sic Pignatell., tom. V, consult. 13, n. 14.

(3. Thalmud compilare cepit quidam Judas Simonis filius circa annum Christi 150, post ultimam Hierosolymæ desolationem, inde circa annum 300 auctum, et Thalmud Hierosolymitanum appellatum a quodam R. Joanna. Postremo iterum compilatum fuit cum aliis additionibus circa annum 479 a RR. Ase, Jesse et Hemai, quæ compilatio cum Babylonici contigerit, exinde Thalmud Babylonicum appellatum est, ut referunt Decianus, *loc. cit.*, n. 3; Cherubin. Junior ad *Constitut. Clementis VIII*, schol. 2; Voisin., in proem. *Pugion. fidei*, pag. 57; Rota, *loc. cit.*, n. 4. (4. Unde Thalmud aliud est Hierosolymitanum, et aliud Babylonicum.

(5. Pignatell. autem, *loc. cit.*, n. 10, habet quod liber Thalmud cœptus est anno a Domino Jesu 100, ad umbilicum productus

inquisitoribus deferretur. — 11. Et contra omnes transgressores tum Hebræos, tum Christianos gravissimas pœnas imposuit. — 12. Addita contra transgressores Christianos excommunicatione latæ sententiæ. — 13. Hæc excommunicatio licet per dictam constitutionem non sit explicite et expresse reservata quoad omnes, asseritur tamen implicite reservata quoad aliquos, qui assignantur cum causa reservationis. — 14. Alia ad rem, ad num. 15.

anno ejusdem 400, sed Ben-Majemon in compendium redegit Thalmud, et scripsit anno 1150, et habetur secundo loco post Bibliam; et tantæ est auctoritatis ut Thalmud.

(6. Thalmud, sive Hierosolymitanum, sive Babylonicum, ultra infinitas ineptias, abusiones, erroneas et stultitias inauditas, continet tacite vel expresse innumerabiles hæreses seu errores contra veteris ac novæ legis Scripturas, nec non contumeliosas impietates et blasphemias contra Deum, sanctissimam Trinitatem, Salvatorem nostrum, beatissimam Virginem, beatos angelos, patriarchas, prophetas, apostolos aliosque sanctos Dei, sanctissimam crucem, sacramenta novæ legis, sacras imagines, sanctam Catholicam Ecclesiam, Sedem Apostolicam, Christianam religionem, ac Christianos, ac plurima alia deliramenta, quæ videri possunt apud Sixtum Senensem, lib. ii, tom. I *Bibliothecæ sacræ*; Isidor. episcop. Hispal., lib. *contra Judæos*, n. 49; Marquard., *De Judæis*, p. iii, cap. 1, n. 49, inter *Tract. magn.*, tom. XIV, et plura ejusdem libri capita affert Pignatell., cit. t. V, cons. 14, n. 11, quæ referuntur sub verb. *HEBRÆUS* a n. 38.

(7. Hujus impii nefandique Thalmud fere infinita volumina in tota Gallia reperta, fuerunt Parisiis jussu Gregorii IX Summi Pontificis, et auxilio regis Galliæ, tunc sancti Ludovici, anno circiter 1239 igne combusta.

(8. Hoc idem quoad combustionem Thalmudicorum voluminum statuerunt Innocentius IV, Clemens IV, Honorius IV et Joannes XXII. (9. In Italia quoque Julius III, anno 1553, cum festa Tabernaculorum a Judæis mense Septembris celebrarentur, per omnes urbes Thalmudica volumina inquiri et comburi jussit. Deinde Paulus IV per decretum supremæ inquisitionis anno 1559, eorumdem Thalmudicorum voluminum perquisitionem et combustionem fieri mandavit, sicque fecere sanctus Pius V, anno 1566, et Gregorius XIII, stantes ut ab inquisitoribus procedatur contra Judæos hujusmodi volumina retinentes. (10. Et postremo Clemens VIII, constitut. 20, incip. *Cum Hebræorum*, omnes præcedentes circa Thalmudicos libros prohibitiones approbans, omnibus tum Judæis, tum Christianis eos retinere, aut quovis modo uti vetuit, etiam sub prætextu expurgationis factæ aut faciendæ, revocans quascunque licentias ad id obtentas a quibuscunque, etiam a nuntiis apostolicis, aut de latere legatis, ac prohibens in futurum quibuscunque concedere facultates eos retinendi, legendi, deferendi, emendi, vendendi aut de novo excudendi. (11. Iterum jubendo, ut infra duos menses a die publi-

cationis eos retinentes, locorum ordinariis sive inquisitoribus deferrent, ab his statim comburendos, indicta contra transgressores Hebræos pœna amissionis librorum, publicationis honorum, aliisque gravioribus, etiam corporis afflictivis arbitrio ordinariis aut inquisitorum. (12. Et contra Christianos ultra præfatas pœnas, excommunicatione latæ sententiæ etiam imposita.

(13. An autem excommunicatio lata contra Christianos legentes aut retinentes libros Thalmudicos sit reservata Summo Pontifici, dubitant doctores. Quoad excommunicationem enim appositam per bullam Pii IV, *In Indice librorum prohibitorum*, possunt absolvi a proprio confessario, ut recensendo tenorem ipsius excommunicationis ab altera imposita in bulla *Cœnæ Domini*, docent Suarez *De fide*, disp. 20, sect. 3, num. 39; Becanus, *De fide*, cap. 13, q. 8; Delbene, *De offic. inquisit.*, part. 1, dubit. 46, n. 5 et seq.; Bonacina, tom. III, *De censur. in bulla Cœnæ*, disp. 1, q. 2, punct. 4, n. 2; card. Petra, *loco cit.*, n. 13, ubi subjungit quod nec etiam potest dici, quod incuratur excommunicatio lata in bulla *Cœnæ*, quia procedit contra legentes libros hæreticorum, et sic non comprehendit istos Judæorum, et firmat idem Delbene, dubit. 36 in *Corol.* n. 1, 2 et 6; Bonacina, *cit. disp.* 1, q. 2, punct. 4, num. 21. Unde idem Petra recte concludit quod cum in constitutione Clementis VIII nulla adsit reservatio censuræ, non videtur quare possit dici reservata, sicque solum elicitur talis reservatio quoad ferentes, vel auxilium præstantes Hebræis, ut dictos libros habeant, quia, cum ex eadem constitutione isti incurrant pœnas fautorum hæreticorum, proinde incurrunt etiam excommunicationem contentam in bulla *Cœnæ*. Haecenus erudite suo more eminentissimus Petra, *loc. cit.*, n. 13 et 14. *Vide verb. LIBRI PROHIBITI*, num. 18.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(14. Longe a veritate aberrat Ferraris noster in taxanda Thalmudis epoca, præterquam quod Misna cum Thalmud, itemque Thalmud utrumque Hierosolymitanum cum Babylonicum confundit. Quoniam vero meum non est nunc chronologum, aut historicum litterarium agere, lectores remitto ad *Rabbinicas Bibliothecas* Bartolucci et Wolfii. Illud autem, de quo lectorem eundem admonendum esse censeo, est, quod etsi corpus Thalmudicum multis ac fere innumeris refertum sit fabellis, nugis, contradictionibus, erroribus vel etiam blasphemis, quarum amplissimum catalogum elaboravit prædictus Bartolucci, tom. III, a pag. 359 ad pag. 663, ac propterea jure in illud animadversum sit, dirisque flammis devorandum traditum: negari tamen nequit, quin multa adhuc in eodem reserventur divinaram Scripturarum explanationi, rectæque earumdem intelligentiæ perquam utilia, necnon antiquæ genuinæque traditiones Israeliticæ gentis, tum argumenta adversus

Judæorum pervicaciam, et quod maxime est notandum, Catholicæ Ecclesiæ apologia adversus hujus temporis hæreticos. Abstinerè omnino nequeo ab adducendo nonnullorum clarissimorum virorum testimonia et judicia de eodem Thalmud. Illustrissimus Bossuetius in admirabili suo opere, cui titulus: *Discours sur l'histoire universelle*, part. II, hæc scripta reliquit: « Habent (Judæi) opus ab iis appellatum *Thalmud*, id est *doctrina*, quod æquali cum sacra Scriptura veneratione prosequuntur. Antiquorum eorum magistrorum tractatus atque sententias in unum collectas complectitur: et, quamvis partes singulæ, quibus magnum hujusmodi opus constat, eadem minime potiantur antiquitate; posteriores tamen, qui inibi referuntur, auctores, priora Ecclesiæ sæcula attingere. Hac autem in collectione, inter innumeras indecentesque fabellas, quarum pleræque evulgatæ conspiciuntur post Christi adventum, quædam occurrunt vetustissimarum traditionum lipsana Hebraicæ gentis, probationesque, quibus facile redarguatur. » Idem est judicium quod de eodem Thalmud novissime efformavit clar. abbas Houtteville in egregio opere adversus incredulos edito, tom. I, *Discours critique*, p. 148: « Generatim (inquit, de Thalmud loquendo,) magnum hoc opus residua quædam pretiosa continet veterum Judaicarum traditionum, a quibus adjutorium postulari posse recognosco ad sacrarum Scripturarum intellectum.... Neque asserere vereor, quin in ea tractatum sententiarumve caterva, quibus compactum est, talia reperiantur, ut si quis ea seligere apprime norit, invictissima ex iis elaborare possit argumenta pro Ecclesia cum Judæis disceptaturus. » Præverat Claudius Fleury, *Discours sur l'histoire ecclésiastique*, v. discours, § 5.

(15. Hinc mirum non est si Raymundus Martini Dominicanæ familiæ sæc. XIII splendidissimum ornamentum, in proœmio eximii singularisque operis *Pugionis fidei*, num. 5 profiteatur: « Secundario vero (materia hujus Pugionis) erunt quædam traditiones, quas in Thalmud et Midraschim, id est glossis et traditionibus antiquorum Judæorum reperi, et tanquam margaritas, quasi de quodam maximo firmario sustuli non modice lætabundus. » Quod et fideliter præstitit pius doctusque vir maximo cum Ecclesiæ emolumento, adeo ut, omnes quotquot in posterum Christianam religionem adversus Judaicam perfidiam vindicare aggressi sunt, a Raymundo arma commodarent. Eandem et ipse spartam secutus quantocius, nedum adversus Judæos, verum etiam adversus heterodoxos hujus temporis, Ecclesiæ Catholicæ dogmata propugnavit Thalmudicis cæterisque Judaicis traditionibus in cœno Rabbinicorum voluminibus involutis v. c. abbas D. Bernardus Poch. * Opus, in quo elaborando annos plures contriverat, morte interceptus, absolvere D. Bernardus Poch minime potuit. Obiit autem Romæ an. 1782, die 3 Martii *.

THEOLOGIA, THEOLOGUS.

SUMMARIUM.

1. Theologia quid sit. — 2. Theologia est quintuplex, scilicet positiva, ascetica, polemica, scholastica et moralis. — 3. Quæ sit theologia positiva. — 4. Quæ sit ascetica. — 5. Quæ sit polemica. — 6. Quæ sit scholastica. — 7. Quæ sit moralis. — 8. Theologia ratione subjecti, in quo recipitur, dividitur in theologiam Dei, in theologiam beatorum et in theologiam viatorum, et quæ sint hæc tres theologiæ. — 9. Theologia ratione objecti, circa quod versatur, dividitur in theologiam necessariorum et in theologiam contingentium, et quæ utraque

(1. Theologia est divinarum rerum ex iis, quæ revelata sunt, sacra doctrina. Est in re Communis.

(2. Theologia est quintuplex, scilicet positiva, ascetica, polemica, scholastica, moralis. Sic doctores communiter (102).

(3. Theologia *positiva* est, quæ in sensu Scripturæ, traditionum, decretorum pontificiorum et definitionum conciliorum explicando occupatur, uti est theologia sanctorum Patrum et aliorum sacræ Scripturæ, ac sacrarum canonum interpretum, et ideo dicitur *positiva*, quia ponit fundamenta pro construendis argumentationibus theologice: ejus præcipua functio est interpretari sacras Scripturas, traditiones ac sacros canones.

(4. Theologia *ascetica*, seu *mystica*, aut *affectiva* est, quæ non tam rationis discursu, quam simplicis mentis intuitu affectuose res divinas contempletur, et sapit, et ideo, non solum intellectum illuminat, sed præsertim voluntatem inflammat, et dicitur *ascetica*, quia potissimum docet in asceteriis religiosorum: ac ejus præcipua functio est tradere doctrinas ad perfecte virtutes consequendas necessarias, et docere veram perfectionem Christianam.

(5. Theologia *polemica*, seu *dogmatica*, aut *theoretica* est, quæ fidei dogmata et mysteria fidelibus exponit, et contra infideles defendit, et dicitur *polemica* a quodam verbo Græco, quod *bellum* significat, quia tractat controversias, et docet modum defendendi veram fidem, et expugnandi hæreses. Et ejus præcipua functio est ponere vera fidei mysteria fidelibus, ut confirmentur, et infideles convincere de erroribus, ut convertantur.

(6. Theologia *scholastica* est, quæ artificiosa methodo, et syllogistica de rebus divinis disserit ad differentiam positivæ, quæ privata sacrarum Scripturarum lectione et exercitatione SS. PP. comparatur. Et

(102) Mirum est quot extremis hisce temporibus, in Germania præsertim, ortæ sint theologiæ divisiones, ut theologia *patristica*, theologia *pastoralis*, theologia *scripturistica*. Sed hæc non tam theologiæ divisiones sunt, quam aut fontium, ex quibus theologia hauriri potissimum debet, ut sacræ Scripturæ, ac Patrum, aut usum quorundam, ad quos accommodari posset, indicatio. Quæ si tandem theologiæ nomine pervulgetur, quidni theologiæ partiamur in

sit. — 10. Theologiæ objectum quodnam sit. — 11. Theologia Dei non est proprie scientia. — 12. Theologia beatorum de necessariis est scientia. — 13. Theologia viatorum non est proprie scientia. — 14. Theologia in se et in quocunque intellectu est sapientia, deposita tamen evidentia in intellectu viatorum. — 15. Quid sit sapientia. — 16. Theologia Dei non est practica, sed speculativa. — 17. Theologia autem beatorum et viatorum est practica. — 18. Affertur origo cathedræ scholasticæ religionis seraphicæ. — 19. Quoad ea quæ concernunt theologum, *remissive*.

dicitur *scholastica*, quia in scholis traditur, et a doctoribus scholasticis est inducta. Et ejus præcipua functio est deducere conclusiones certas ex principiis partim fidei, et partim luminis naturalis.

(7. Theologia *moralis* est, quæ de rebus ad mores pertinentibus in ordine ad salutem conclusiones proponit, easque argumentis facillioribus declarat et confirmat. Et dicitur *moralis*, quia mores ad fidei Christianæ regulam ordinat; et ejus præcipua functio est actus humanos, seu morales hominum dirigere, et ad id explicare et resolvere casus conscientiæ.

(8. Theologia ratione subjecti, in quo recipitur, dividitur in theologiam Dei, in theologiam beatorum, et in theologiam viatorum. *Theologia Dei* est, quæ immediate ignitur lumini supernaturali increato, nempe intellectui divino. *Theologia beatorum* est, quæ innitur lumini supernaturali creato clare, et evidentem manifestativo, nempe visioni beatificæ. *Theologia viatorum* est quæ innitur lumini supernaturali creato, sed obscuro, nempe fidei. Theologia Dei est comprehensiva, theologia beatorum est intuitiva, theologia viatorum est discursiva.

(9. Theologia ratione objecti, circa quod versatur, dividitur in theologiam necessariorum et in theologiam contingentium. *Theologia necessariorum* est, quæ respicit veritates necessarias, ut unitatem Dei in essentia, trinitatem in Personis, infinitatem in suis attributis, seu, unico verbo, est quæ respicit Deum ad intra. *Theologia contingentium* est, quæ respicit veritates contingentes, ut creationem mundi, incarnationem divini Verbi, creaturas, quas Deus libere vel creat et moderatur in ordine naturæ; vel vocat et justificat in ordine gratiæ; vel beatificat et coronat in ordine gloriæ, seu, unico verbo, est quæ respicit Deum ad extra.

pontificiam, synodicam, catechisticam, concionatoriam, etc.? Communem, qui sapit, partitionem sequetur, vel potius theologiam dividet in positivam et scholasticam, positivam vero in dogmaticam, et polemicam, scholasticam in speculativam et practicam, ad quam moralis theologia et ascetica revocari poterit. Confer. t. I *Thesauri theologici* Zacchariani Prodromum P. Josephi Gautier ad theologiam dogmatico-scholasticam, dissertat. 4.

(10. Theologiæ objectum est omnis veritas aliquo modo ad Deum pertinens et deducibilis ex revelatis; reductive autem, et ultimate est ipse Deus; et hoc clare patet tum ex ipsius nomine: vocatur enim theologia ex quo sit scientia vel sermo de Deo, et tum ex hoc quod omnia, de quibus agitur in theologia, directe vel indirecte ipsum Deum respiciant.

(11. Theologia Dei non est proprie scientia: ad rationem enim scientiæ requiritur discursus seu progressus a minus notis ad notiora, Deus autem omnia unico actu clarissime intelligit. (12. Theologia beatorum de necessariis est scientia. Habet enim omnes condiciones ad scientiam requisitas, et etiam discursum, de quo majus est dubium, quia beati ex Scoto prius saltem natura intelligunt quidditatem rei quam proprietates. (13. Theologia viatorum non est proprie scientia: deficit enim ipsi evidentia, cum nitatur in fide, quæ est obscura; potest tamen dici scientia lato modo, sumendo scientiam pro cognitione ita certa, ut ipsius certitudo æquipolleat evidentiae, ut habetur ex Scoto, q. 3 Prolog.

(14. Theologia in se et in quocunque intellectu est sapientia; seposita tamen evidentia in intellectu viatorum: est enim cognitio rerum altissimarum, nempe Dei et divinorum, quæ habetur per rationes altissimas, scilicet per fidem in intellectu viatorum, per lumen gloriæ in intellectu beatorum, et per essentiam divinam in intellectu Dei. (15. Quod est proprium sapientiae, quæ definitur, quod sit notitia rerum divinarum per altissimas causas.

(16. Theologia Dei non est practica, sed speculativa. Ipsa enim non est regulativa, cum intellectus Dei theologia nec est regulativa, nec practica. (17. Theologia autem beatorum et viatorum est practica: opera-

tur enim circa objectum ipsum diligendo, nec manet in sola contemplatione Dei, sed excitat voluntatem ad Deum amandum, et sic dirigit praxim: et hæc aliqualis breviter de theologia perstricta notitia sufficiat. Reliqua de ea, tum positiva, tum ascetica, tum polemica, tum scholastica, tum morali relinquo videnda apud suos respective auctores, qui fuse ad rem integra volumina ediderunt.

(18. Hic juvat addere quod in nostro Minoritico ordine primus omnium legitime sacram theologiam interpretatus est S. Antonius de Padua cum facultate, ut sequitur, S. P. nostri Francisci.

«Charissimo meo Fratri Antonio, Frater Franciscus, in Christo salutem.

«Placet mihi, quod sanctæ theologiæ litteras Fratribus interpreteris; ita tamen, ut neque in te, neque in cæteris (quod vehementer cupio) exstinguatur sanctæ orationis spiritus juxta Regulam, quam profiteremur. Vale.»

Recepta hæc Seraphici S. Patris patentali facultate, primam cathedram scholasticæ doctrinæ aperuit S. noster Antonius in nostro Fratrum Minorum ordine, eamque docuit in alma studiorum matre civitate Bononiæ, et in aliis Galliæ et Italiæ civitatibus, et postremo in civitate Paduæ, ubi gloriosum ac miraculosum vitæ suæ cursum complevit; et præ innumerabili miraculorum multitudine, nondum a suæ gloriæ mortis transacto anno (quod mirum est) a Gregorio IX plaudente urbe et orbe in civitate Spoletii (ubi tunc aderat Romana curia) sanctorum fastis omni cum solemnitate fuit ascriptus. Sic P. Petrus Antonius de Venetiis in *Viridario Seraphico* italice conscripto tom. II, cap. 2, pag. 9, alique apud Wadingum ad an. 1222, et habetur in opusculis ejusdem S. P. Francisci, tom. I, epistola tertia.

(19. Quoad ea quæ concernunt theologum, vide verb. CANONICUS, art. 2, a n. 1 usque ad n. 44, ubi abunde de omnibus.

THESAURUS S. M. ECCLESIAE.

Vide verb. INDULGENTIA, art. 1, a n. 4.

THESAURUS.

Vide verb. DOMINIUM, art. 3, a n. 26 ad n. 43.

THURIFICATIO.

SUMMARIUM.

1. Thurificatio juxta formam Cæremonialis cum uno tantum thuribulo est facienda. — 2. Usus duorum thuribulorum non probatur. — 3. Thurificatio est munus diaconi. — 4. Thurificatio debetur canonicis paratis ante vicarium generalem. — 5. Thurificatio debetur prius canonicis cathedralis et collegiatae quam gubernatori. Vide tamen infra, a num. 32 ad 39. — 6. Finito evangelio missæ solemnis, cui cum cappa assistat episcopus, thurificandus est celebrans, et non episcopus. — 7. Thurificatio in ecclesia collegiata exempta præsentate episcopo

et abbate, quomodo facienda. — 8. Canonicis collegiatae debetur thurificatio ante rectores et beneficiatos ecclesiarum parochialium. — 9. Thurificatio debetur duplici ductu canonicis, clericis vero parochialium ecclesiarum unico ductu. — 10. Portionariis et aliis beneficiatis quando debeatur thurificatio duplici ductu. — 11. Dignitatibus et canonicis hinc inde distributis in choro quomodo fieri debeat thurificatio. — 12. Assistentes episcopo thurificantur et recipiunt pacem ante dignitates. — 13. Archidiaconus, qui tenet baculum episcopi, thurificandus est immediate post diaconos assistentes. — 14. Assistentis presbyter, et non diaconus Evangelii, thu-

rificare debet episcopum. — 15. Canonici stantes, et non genuflexi thurificare debent episcopum. — 16. Thurificatio cum triplici ductu thuribulo unico tantum, et digniori, id est episcopo, convenit. — 17. In absentia episcopi thurificatio fieri debet celebranti triplici ductu. — 18. Dignitatibus et canonicis cathedralium debetur thurificatio duplici ductu, cæteris vero de choro unico ductu. — 19. Dignitatibus cathedralium debetur thurificatio solum duplici ductu, quando firmiter non probatur immemorabilis, quod triplici ductu incensatur, absente episcopo. — 20. Thurificatio non debetur canonicis ab episcopo celebrante. — 21. Thurificatio duplici solum ductu debetur vicario generali sedenti in choro, licet sit prælatus. — 22. Thurificatio debetur magistratui post canonicos æquis ductibus. — 23. Dominus loci, et quisvis alius non est thurificandus a presbytero celebrante. — 24. Est tamen servanda consuetudo circa thurificationem baronis domini loci. — 25. Curatus sive rector Ecclesiæ thurificandus est ante dominum loci. — 26. Diaconus Evangelii debet thurificare chorum, non obstante præsentata contraria consuetudine. — 27. Diaconus debet incensare canonicos et alios, non tamen mansionarios. — 28. Diaconus non debet dare pacem laicis nec domino loci. — 29. Consuetudo, ut vicarius generalis thurificetur ante canonicos, est servanda. — 30. Consuetudo loci vel ecclesiæ servanda est ut vicarius generalis sit thurificandus ante vel post capitulum. — 31. Consuetudo ut mansionarii ab una parte thurificentur immediate post canonicos ejusdem partis antequam thurificentur dignitates et canonici alterius partis, non est servanda. — 32. Consuetudo, ut gubernator thurificetur immediate post episcopum, est servanda. — 33. Consuetudo incensandi gubernatores civitatum Sedis Apostolicæ, qui sunt referendarii, et utuntur rochetto ante canonicos, est servanda. — 34. Consuetudo, quod gubernator status thurificetur, et habeat pacem ante rectores et curatos ecclesiarum, servanda est. — 35. Consuetudo laudabilis, quod gubernator non thurificetur, nec osculetur librum Evangelii, nec habeat pacem immediate post episcopum, servanda est. — 36. Gubernator protonotarius cum habitu prælatitio divinis assistens thurificandus est ante canonicos immediate post episcopum. — 37. Gubernator dignissimus et perpetuus thurificandus est immediate post episcopum, et ante canonicos etiam paratos. — 38. Gubernator civitatis etiam non prælatus thurificandus est immediate post canonicos; assistens ante alios canonicos, et ab-ente episcopo immediate post vicarium generalem. — 39. Etiam si gubernator sit uxoratus. — 40. Gubernator civitatis thurificandus est duplici et non triplici ductu. — 41. Si adsit autem consuetudo, quod ipse gubernator, seu alii thurificentur triplici ductu, est servanda.

(1. Thurificatio (103) juxta formam Cæremonialis cum unico tantum thuribulo (104) est facienda. Sacra congr. Rit., in *Lucerina* 21 Julii 1618, apud Aldan., in *Compendio canonicarum resolutionum* lib. 1, tit. 9, num. 34, et Barbos., in *Summ. apostolic. decis.*, verb. *Thurificatio*, n. 1. (2. Usus enim duorum thuribulorum non probatur.

(103) Ab Hebræorum Ecclesia ad nostram thurificationis usus profluxit ab antiquissimis usque temporibus. Vide quæ t. III *Bibl. Ritual.* ad Maldonati disputationem 2, § 5, Zaccaria adnotavit p. 40. Multiplex autem hujus fuit cum in Christianorum funeribus (licet non ubique, certe si quid video, in Africa nullum fuisse saltem in sepeliendis mortuis, indicat Tertullianus *Apolog.* cap. 22); tum præsertim in liturgia, ut pluribus ostendunt Scortia l. III, cap. 15, et Georgius *De liturg. R. P.* l. III, cap. 2.

— 42. Dignitatibus in choro, quamvis cum rochetto et habitu protonotarii existentibus, non debetur thurificatio triplici, sed solum duplici ductu. — 43. Thurificatio cum triplici ductu non debetur vicario apostolico. — 44. Neque primæ dignitati Sanctæ Mariæ in Cosmedin urbis. — 45. Thus et pax domino loci debet dari juxta formam Libri cæremonialis. — 46. Mulieribus non datur thus et pax inter missarum solemnias. Et an aliquando dari debeat? remittitur arbitrio episcopi. Non deberi autem nisi reginis et magnis principissis est novissimum statutum. — 47. Canonici et beneficiati, ac magistratus in Vesperis, quando assistunt beneficiati cum pluvialibus, thurificandi sunt per aliquem ex dictis beneficiatis assistentibus pluviali indutis. — 48. Canonicus locum tenens episcopi non est thurificandus ante dignitates. — 49. Prior collegiatae, si in cathedrali præsens fuerit cum illius dignitatibus et canonicis, thurificandus est duplici ductu. — 50. Tam dignitates quam canonici lateris dignioris chori incensandi sunt prius quam dignitates et canonici alterius lateris. — 51. In feria vi Parasceve post thurificationem oblatorum, non est iterum thurificandum SS. Sacramentum, nec ob ejus præsentiam est omittenda incensatio crucis. — 52. Reliquia SS. Crucis non est thurificanda a celebrante genuflexo. — 53. Thurificatio non debetur laicis a diacono parato, sed a solo clerico cotta induto. — 54. Diaconus ministrans thus canonico celebranti debet dicere *Benedicite, Pater reverende*, et non *Pater reverendissime*; quod dicitur solum si celebret episcopus, et *Pater eminentissime*, si cardinalis. — 55. Traditur modus et ordo servandus a diacono in thurificatione, ad num. 57. — 58. Si altare, in quo canitur missa, longe distet a choro, thuriferarius et non diaconus ipsum incensabit. — 59. Imperator, reges alique supremi principes et præreges, quando et quomodo thurificandi. — 60. Quomodo incensandi domini locorum minorum, ad num. 61. — 62. Omnibus de more incensatis thurificandus est populus ter. — 63. Quando chorum incensat thurificarius, potest illum incensare, vel in communi transeundo ante sedilia, vel singillatim omnes. — 64. Si in presbyterio vel in choro, ubi benedicendum est incensum, adsit episcopus diocesanus, vel aliquis eo major, tunc ipse illud benedicit. — 65. Quando ad Vesperas præter altare majus est incensandum aliud altare, quomodo facienda incensatio? — 66. Incensatio chori ad Vesperas quando cessare debeat? — 67. Quando duo sunt thuriferarii, quomodo facienda incensatio? — 68. Qui thurificat, semper stare debet; solus Papa a genuflexo incensatur. — 69. Adducitur responsio sacre congr. Rit. ad varia dubia. — 70. In choro thurificandi sunt omnes singillatim. — 71. Alia ad rem, ad num. 74.

Sacr. congr. Rit., in *Alexandrina* 15 Martii 1608, in respons. ad 2 Dub. et in dict. *Lucerina*, apud Aldan., loco cit., n. 36, et Barbosa, l. cit., n. 2.

(3. Thurificationis munus est diaconi, qui etiamsi sit ex dignitatibus vel canonicis, post incensatum episcopum, debet alios prælatos, si adsint, magistratum sæ-

Porro quotiescunque incensum thuribulo imponeret sacerdos, illud prius benedicebat; atque hujusmodi benedictionum formulas plures suppeditat Martinius, *De ant. Eccl. ritib.*, tom. I, lib. 1, cap. 4, art. 12.

(104) Variis thuribulum nominibus apud veteres vocatum invenio, *thymamaterium* Græca voce, *incensarium, incensorium*, imo et *fumigatorium*. Confer Georgii disquisitiones *De sacro ministerio*, cap. 7.